

flores quadruplo minores, calyx alias, germen maximum absque stylo, ut nesciam quomodo character genericus exstruatur ob calycem et stylum.

Trophin Brown 357. si umquam vidisti, me doceas num Bucephalon Plum. poterit esse ejusdem speciei.

Vale et vive felix.

Upsaliae 1765, d. 20. Januarii.

32.

Viro amplissimo DD. Nicol. Jacquinio s. pl. d. Car. von Linné.

Literas die 2. Januarii datas rite accepi ante biduum . duos jam integros dies consumsi, antequam has plantas potui reperire in Herbario meo. Didici numquam alia vice mittere plantarum catalogos, nisi etiam pro me retineam eorum exemplaria.

Reliquas plantas tentabo inquirere, prout tempus concedatur v. horula vacua, qui nunc mancipatus sum studiosis.

Arboris folium pinnatum non erat inclusum.

Hedyotis americanae specimen erat nimis parvum, ut ejus ideam vix poteram mihi formare.

Proxima nostrae regioni terra est Danica, attamen nullum commercium nisi cum navibus, nec possum mittere quidquam, antequam naves petant Daniam, vel aliquis peregrinator accedat, quod rarius fit.

Me summa voluptate affecit historia avis rarissimae, profecto stupenda. Avis sine omni dubio pertinebit ad *Parrae* genus novum, ad quod spectant, licet diversissimae species :

1. Gallinula alis cornubus donatis Edw. or. t. 48.
2. Jacana 4. Marcgr. Edw. av. t. 357.
3. Vanellus senegalensis armatus Bug. av. 5. t. 10. f. 2.